



Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De quorumdam deuotorum ardenti desiderio, ad corpus Christi. 14

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](#)

tura sub cælo tam dilecta, vt anima deuota , ad quam ingreditur Deus , vt pascat eam carne sua gloria? O inef-fabilis gratia : ô admirabilis dignatio : ô amor immensus homini singulariter impensus. Sed quid retribuam Domi- Ps. 115.

no pro gratia ista , pro charitate tam eximia ? Non est aliud , quod gratius donare queam , quam vt cor meum Deo meo totaliter tribuam , & intimè coniungam . Tunc exultabunt omnia interiora mea , cùm perfectè fuerit vnita Deo anima mea . Tunc dicet mihi : Si tu vis esse mecum , ego volo esse tecum . Et ego respondebo illi : Dignare Domine manere mecum , ego volo libenter esse tecum . Hoc est totum desiderium meum , vt cor meum tibi sit vnitum.

CAP. XLLL.

*De quorumdam deuotorum ardenti deside-
rio , ad corpus Christi.*

VOX DISCIPVL I.

O Quàm magna multitudo dul- Ps. 115.
cedinis tuæ Domine , quam abscondisti timentibus te . Quando recordor deuotorum aliquorum , ad Sacra-

310 DE IMITATIONE

Sacramentum tuum Domine , cū maxima deuotione , & affectu accedentium , tunc səpiūs in me ipso confundor , & erubesco : quòd ad altare tuum , & sacræ Cōmunionis mensam , tam tepidè & frigidè accedo . Quòd ita aridus , & sine affectione cordis maneo . Quòd non sum totaliter accensus coram te Deo meo ; nec ita vehementer attractus & affectus , sicut multi deuoti fuerunt , qui p̄æ nimio desiderio Communionis , & sensibili cordis amore , à fletu se non potuerunt cōtinere: sed ore cordis & corporis pariter , ad te Deum fontem viuum medullitus inhiabant , suam esuriem non valentes aliter temperare nec satiare , nisi corpus tuum , cum omni iucunditate & spirituali auditate accepissent.

Luc. 24 2 O vera ardens fides eorum , probabile existens argumentū sacræ p̄æsentiae tuæ. Isti enim veraciter cognoscunt Dominum suum in fractione panis , quorum cor tam validè ardet in eis , de Iesu ambulante cum eis . Longè est à me səpè talis affectus & deuotio , tam vehemens amor & ardor . Esto mihi propitius Iesu bone , dulcis & benignus & con-

& concede pauperi mendico tuo, vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui, in sacra Communione sentire, ut fides mea magis conualescat; spes in bonitate tua proficiat, & charitas semel perfectè accensa, & cælestè manna experta, numquam deficiat.

3 Potens est autem misericordia tua, etiam gratiam desideratam mihi praestare, & in spiritu ardoris, cum dies beneplaciti tui venerit, me clementissimè visitare. Etenim licet tanto desiderio tam specialium deuotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua, illius magni inflammati desiderij, desiderium habeo, orans & desiderans, omnium talium feruidorum amatorum tuorum, participem me fieri, & eorum sancto consortio annumerari.

C A P. XV.

*Quod gratia deuotionis, humilitate & sa-
ipsius abnegatione, acquiritur.*

VOX DILECTI.

1 **O** Portet te deuotionis gratiam instanter querere, desideranter petere, patienter & fiducialiter expecta-